

DE IMPEDIMENTO DISPARITATIS CULTUS.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ-NONÆ SYNOPSIS.

*Nulla tenent illos valido connubia nexu,
Quos retinet dispar religionis amor.*

Sic incipit: Post hæc.

Sic terminat: Contrahitur.

1. Conneccitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de impedimento voti, & ligaminis; & haec tenus de his, quæ Matrimonium impediunt respectu, omnis personæ; sed in præsenti determinat de impedimento disparis cultus, quod personas respicit determinatas: ergo recte consonant.

2. Consequentia probatur: Prius est agere de impedimentis, quæ omnem comprehendunt, sive ambiunt personam, quam de his, quæ determinatam tantum respiciunt, eò quod de universalibus ad particularia sit congruus descensus; sed Magister in superiori distinctione egit de voti, & ligaminis impedimento; & haec tenus de his, quæ Matrimonium retardant respectu omnis personæ: ergo in præsenti distinctione agere de impedimento disparis cultus, quod determinatas respicit personas, reverâ est rectam servare methodum.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ ostendit Magister; quod dispar cultus reddit personas ad contrahendum inhabiles. In secundâ vero declarat, quomodo vir uxorem, & uxor virum propter peccatum, aut vitium aliquod dimittere possit. In tertâ autem, & ultimâ statuit, infidelium conjugium non esse ratum; cum fidei fundamento non innitatū.

4. PRO PRIMÆ igitur distinctionis partis pleno captu, hoc primum præfigitur assertum: *A personis diversarum religionum Matrimonium simul contrahiri non potest.* Quod satis congrue deducitur ex Magistro afferente, disparem cultum, sive religionum diversitatem conti- tuere personas omnino illegitimas ad contrahendum.

Pro-

5. Probat primò Magister assumptum ex lege veteri Exod. cap. 34. & Deut. cap. 7. Non accipias uxores de filiabus alienigenarum filiis tuis, ne traducant eos post Deos suos. Ergo in veteri lege erat prohibitum accipere uxorem de filiabus alienigenarum, ne traducerent eos post Deos suos; sed idem periculum modò imminet inter personas diversarum religionum, sive inter fidelem, & infidelem: igitur Matrimonium simul contrahi à personis diversarum religionum non potest.

6. Secundò, etiam probat Magister ex libro 1. Esdræ cap. ult. ubi præcipitur dissolvi conjugia cum alienigenis inita, his verbis: Separamini à populis terra, & ab uxoribus alienigenis. Ergo si in veteri lege de alienigenis ducere uxores erat prohibitum; potiori jure in novâ non erit licitum Matrimonium contractum inter personas diversarum religionum, eò quod nova lex perfectione superemineat veterem.

7. Tertiò suadet ex M. P. Augustino lib. 1. de adult. conjug. cap. 2. sic alloquente: Ne habat famina nisi sua religionis viro, vel ne vir tales ducat uxorem. Id enim jubet Dominus, docet Apostolus, utrumque præcipit testamentum. Sed quod foemina solùm sua religionis virum, & vir tales ducat uxorem, utrumque præcipit testamentum: ergo foemina ducere virum diversæ religionis, & viro tales accipere uxorem, extat in utrâque lege prohibitum.

8. Quarto, id ipsum firmat Ambrosius lib. de Abraham Patriarchâ cap. 9. Cave Christiane Gentili, vel Iudeo filiam tuam trade: e: Cave nè Gentilem, vel Iudeam, vel alienigenam, id est, hereticam, vel omnem alienam à fide tua, uxorem accersas tibi. Sed hæc personarum genita à Divo Ambroso relata, ad diversas, variasque religiones pertinent: ergo ducere ex illis uxorem, Christianis non licet; atque adeo à personis diversarum religionum Matrimonium simul contrahiri non potest.

9. Quinto, hoc alio perpicuo testimonio desumpto ex cap. Si quis, validè præmunit assentum: Si quis Judeo, sive Christiano Iudeo, sive Iudea Christiano carnali confortio misceatur, quicunque tantum nefas admiserit, à christiano cœtu protinus segregetur. Sed qui carnali confortio ita miscentur, quod à christiano cœtu protinus arceri debent, Matrimonium simul contrahere non possunt: ergo cum præfati contrahentes illi co sejungi debeant, nequit inter ipsos verum ac validum elucere coniugium.

10. Sextò tandem ratione roborat intentum Magister: Maxima inter fideles, & infideles reverâ distantia viget, quemadmodum inter lucem, & tenebras, Christum Dominum, & Belial, & alia hujusmodi; sed in Matrimonio magna, & specialis intercedit unio, ut ex ipsis in-

stitutione constat: ergo cùm magna, specialisque unio non aptè cum maximâ cohæreat distantia, Matrimonium inter dispares cultu, sive religione celebratum, erit irritum, & nullum.

11. Sed oppones primò ex Apostolo 1. Corinth. cap. 7. dicente: *Ego dico, non Dominus, si quis frater habet uxorem infidelem, & hac consentit habitare cùm illo, non dimittat illam.* Sed hic Apostolus Matrimonium inter fidelem, & infidelem commendat: igitur per dispares cultu, & religione verum ac validum contrahitur Matrimonium.

12. Respondet Magister, Apostolum exponendum fore de Matrimonio in infidelitate celebrato ab infidelibus, quorum alter postea fidelis factus est, altero in infidelitate persistente; tunc enim potest fidelis infidelem dimittere propter fornicationem spiritualem infidelitatis; vel potest eam retinere pro spe conversionis, & hoc Apostolus consuit. Ceterum conclusio apposita intelligitur de iis, qui in dispare religione, ritu, aut fide existentes, Matrimonium contrahere tentant; nam tunc fideli nulla datur facultas ad contrahendum cum infideli, eò quòd ab initio fuerit Matrimonium celebratum contra jus, legemque Domini, ut passim sentiunt in littera Patres.

13. Oppones secundò ex Genes. cap. 14. ubi Joseph cum muliere Aegyptiacá Matrimonium contraxit, & tamen nulla fuit animadversio ne dignus. Similiter cap. 12. Numer. refertur, Moysen cum Aethiopis sà muliere conjugium celebrasse; sed præfati contrahentes, et si in veteri lege, erant diversi cultus, & religionis: ergo quòd sic contrahentes in novâ existant lege, non poterit Matrimonium retardare.

14. Respondet negando Consequentiam, & instantiæ simile. Nam in veteri lege cultus disparitas non præstabat impedimentum simpliciter, sed ubi imminebat periculum, & judicium Dei urgebat, sive imponebatur præceptum; cùm ergo in conjugibus à Joseph & Moyse celebratis, nullum ex appositis intercesserit impedimentum, eorum Matrimonia fuerunt valida: At in lege Evangelii, et si cultus disparitas simpliciter non impediāt; tamen ob vitationem periculi, & diversitatem Sacramenti baptisimi, necnon Ecclesiæ prohibitionem omnino Matrimonium retardare videtur.

15. Oppones tertio: Sic se habent disparitas, sive morum diversitas, ac cultus disparitas, sive fidei diversitas; sed morum disparitas non impedit Matrimonium contrahendum, nec contractum dirimit: ergo cultus, sive fidei disparitas nequit Matrimonium contrahendum retardare, nec contractum dirimere.

16. Respondeatur concessâ Majori, negando Consequentiam, &

paritatem. Nam disparitas cultus; sive fidei constituit diversitatem Sacramentorum; non sic morum disparitas; quia boni, & mali conve-niunt in Sacramentis. Et quanvis disparitas cultus semper non consti-tuat disparitatem in Sacramentis; nihilominus impedit Matrimonium contrahendum, & simul contractum dirimit, ex Ecclesiæ decreto, ob fornicationis spiritualis periculum haud dubiè ex infidelitate ortum.

17. Oppones quartò: Matrimonium solum ab aliquo retardari valet impedimento, dum ipsius bonis obsistit; sed cultus disparitas nulli Matrimonii bono obsistit: igitur cultus disparitas non invalidat Matrimonium. Minor probatur: Cultus disparitas non officit bono prolis, quia ad cultum Dei debite educari potest; nec bono fidei, cùm possit absque eversionis periculo celebrari; nec Sacramenti bono, quia ex parte fidelis natum est Matrimonium esse ratum, & infolubile: ergo cùm cultus disparitas nulli Matrimonii bono obsistat, sic celebratum, erit omnino validum.

18. Respondet negando Minorem, & ejus probationem. Nam disparitas cultus triplici Matrimonii bono penitus obsistit. Primo proli, quia alter conjugum facile impedire posset, ne proles cultui dedicaretur divino. Secundò fidei, ob imminentem ad infidelitatem conversio-nis periculum. Tertiò Sacramento, quia ex parte fidelis Matrimonium natum est esse ratum, & insolubile, cùm bene fundatum sit supra Sacramentum fidei; ex parte vero infidelis Matrimonium est contritum, sive ad nihilum redactum, eò quòd nullum sit Sacramentum supra quod fundari valeat. Unde Matrimonium inter dispares cultu, sive religione contractum, nullum prorsus censetur, uti tribus ipsius bonis undeque noxiis.

19. Oppones quintò: Sancta Monica Divi Augustini dupliciter ma-ter duxit in Matrimonium virum infidelem, ut passim historici refe-reunt; sed si fideli infidelem ducere non liceret, hoc à Sanctissimâ Au-gustini parente operatum non foret: ergo fideli cum infideli contrahere haud dubiè licet.

20. Respondet communiter Doctores negando Minorem, & Con-sequentiam. Quia Diva Monica potuit ex ignorantia à peccato excu-sari: Unde consentaneè iis inferunt, Matrimonium inter fidelem, & infidelem non esse irritum jure naturali, sive divino, aut ecclesiastico scripto, sed solum ex consuetudine Christiani populi vim legis ob-tinente.

21. Verum, cùm Magistri littera aliquibus aliquanto hic subobs-cura videatur; sive de Matrimonio fidelis cum infideli initio universali-

ter loquatur, opera preium duximus, obiter ea expendere, quae modo ad rem attinent. Infideles enim in duplice sunt differentia. Alii baptizati, ut haeretici; alii vero non baptizati, ut sunt gentiles, & pagani. His suppositis.

22. Dicimus ergo, tria in hac materia, apud Catholicos, pro comperto haberi. Primo, Matrimonia fidelium cum infidelibus, sive baptizatis, sive non baptizatis illicita fore. Secundo, Matrimonia fidelium cum infidelibus non baptizatis, non solum illicita, verum & irrita ac nulla prorsus existere. Tertio, Matrimonia fidelium cum haereticis baptizatis esse quidem illicita, non tamen irrita. In hunc discursant modum circa hoc impedimentum Doctores.

23. Tandem, et si Matrimonium Catholicum cum haereticis sit validum, merito arbitratur illicitum propter contrahentium indispositionem. Nam unus conjugum est in peccato propter pertinaciam suam in haeresi; & alter similiter, quia ministrat Sacramentum peccatori publico, & se exponit periculo subversionis; imo plerique existimant, Papam non posse dispensare, Catholicum ducere cum haeretico, eò quod vi naturalis juris teneatur quis reverenter sumere, & Sacramentum conferre, quod fieri non valeret, si fidelis cum infideli contraheret; tamen ubi consuetudo sic contrahendi viget, non est peccatum. Et haec de primâ distinctione parte sufficient.

24. PRO SECUNDÆ vero partis perfectâ indagine, hoc aliud apponitur assertum: Nonnulla extant vitia ultra infidelitatem, per quae vir uxorem, & uxor virum dimittere potest. Hoc deducimus ex Magistro sedulo inquirente: An ob aliud vitium, quam infidelitatem possit unus conjugum aliud dimittere? Et respondeat, quod vir uxorem, & uxor virum ob alias illicitas concupiscentias, quae animam à Deo aberrare faciunt, dimittere potest.

25. Primo probat ex Augustino lib. 1. de Serm. in monte Domini, & habetur dist. 28. q. 1. cap. Idolatria, dicente: Idolatria, & quavis noxia supersticio fornicatio est. Sed Dominus, fornicationis causa, permisit viro dimittere uxorem, non tamen iussit: ergo cum idolatria, & quavis alia noxia supersticio sit fornicatio, non solum ob istam, quae est carnis, verum & illam, quae est mentis, poterit vir uxorem dimittere; sed sub mentis fornicatione, non solum comprehenditur infidelitas, sed quedam aliae illicitæ concupiscentiae, quae animam à Deo aberrare faciunt: ergo prætet infidelitatem, alia donantur vitia, per quae vir uxorem, & uxor virum dimittere valeat.

26. Secundò probat ex eodem Augustino ibidem sic veniente allo-

quen-

quente: Si infidelitas fornicatio est, & idolatria infidelitas, & avaricia idolatria; non est dubitandum, & avaritiam fornicationem esse. Ergo si causa fornicationis licet viro dimittere uxorem; & avaritia, juxta Augustinum, est fornicatio, idolorumque servitus, poterit vir dimittere uxorem, & è contra non solum propter infidelitatem, sed propter avaritiam, aliaque facinora.

27. Tertio ex ipso M. P. Doctorum Aquilâ lib. de fide, & operibus, cap. 16. sic iterum iterumque probat: Si uxor viro suo dicat; non ero uxor tua, nisi ex furto mibi dirittas aggredes; vel nisi solita lenocinia exercetas, posse dimitti, vel si alia similia facinora à viro experta. Sed haec revera alia ab infidelitate sunt vitia, ut ex se liquet: ergo ob alia vitia, quae præter infidelitatem animam perniciose corrumpunt, potest unus conjux aliud dimittere.

28. Sed dices: Vix de secularibus personis inveniuntur aliqua, quae aliquando non peccant: ergo si uxor virum, & vir uxorem dimittere posset ob quasdam illicitas concupiscentias; sive flagitia alia ab infidelitate, proculdubio ferè Matrimonia cuncta possent & tori licite separari; sed hoc absoluam rationi videtur: ergo & quod vir uxorem, & uxor virum ob aliud scelus ab infidelitate diversum dimittere possit.

29. Respondeatur negando Consequentiam cum Seraphico Doctore. Nam fornicatio, ob quam licet viro dimittere uxorem, in triplici valet contemplari sensu. Primo, quatenus est peccatum circa actum carnis, ut dum quis non cum suâ, sed alienâ coit uxore; & tunc fieri potest divortium etiam pro unico solo actu, si probari possit. Secundo, in quantum fornicatio dicitur idolatria, quemadmodum Sancti Prophetæ ipsos idololatras meretricibus fornicariis passim comparant; & tunc fieri potest divisio, si conjux in illâ perseverare intendat, eò quod sit via ducendi ad corruptionem.

30. Tertio, appellantur fornicatio omnis concupiscentia inordinata, quâ offenditur Deus; & propter hanc etiam potest vir dimittere uxorem, & è contra, si in damnum conjugis sit, præbens ipsi occasionem scandali, ut dum non vult cum eo pacare vivere, nisi consentiat male facere. In hac etenim trinâ acceptione intelligitur fornicatio, propter quam licet viro dimittere uxorem, & uxor virum; nam ob alia peccatorum genera non potest conjux aliud dimittere, nec quantum ad torum, nec quantum ad cohabitationem, nisi ingentem ruinæ occasionem inferrent, & gravi de lapsu vehementer timeretur.

31. Postea, consimiliter iis inquirit Magister, si fidelis infidelem dimitat, vel infidelis à fideli recedat, utrum liceat fideli aliam ducere? Et

Et pro exactâ dubii resolutione, tam in affirmantis, quam negantis partis subsidium arguit diserte Magister in litterâ.

32. Primò pro negante parte sic ex Ambrosio sup. cap. 7. Corinth. i. discusat Magister: *Si disceditis ad invicem, & aliis copulatis, adulteri estis, & filii vestri spurii.* Ergo si dūm fidelis infidelem dimittit, vel infidelis à fideli recedit, & hic aliam ducit, reverā mœchatur, & filii ejus arbitrantur spurii; recte deducitur, fidelem conjugem sic ab infideли recendentem non posse aliam ducere.

33. Secundò ex eodem Ambrosio ibidem, & habetur dist. 28. q. 2. cap. i. iterū sic arguit Magister: *Si quis habuerit uxorem virginem ante baptismum, vivente illa, post baptismum alteram habere non potest. Crimina enim in baptismo solvuntur, non conjugia.* Ergo si in baptismo solvuntur crimina, & non conjugia, non poterit fidelis dūm infidelem dimittit, vel dūm infidelis à fideli recedit, aliam ducere.

34. Pro affirmante verò parte similiter urget primò Magister ex Ambrosio, qui obujum se dat superiori decisioni in Glosâ 1. Corint h. cap. 7. dicente: *Si infidelis discedit, discedat; non enim est servituti subiectus frater, aut soror in hujusmodi; quia non debetur reverentia conjugii ei, qui horret Authorem conjugii.* Ergo si infidelis Authorem conjugii horret; & idcirco ipsi non debetur reverentia conjugii, non incongrue deducitur, quod dūm fidelis ab infideли discedit, vel ab isto dimittitur; liceat fideli aliam ducere.

35. Secundò, alio Ambrosii egregio testimonio in textûs litterâ adducto iterū urget Magister: *Non est enim ratum Matrimonium, quod sine devotione Dei est; & ideo non est peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, si alii se copulaverit. Infidelis autem discedens, & in Deum peccat, & in Matrimonium, nec est servanda ei fides conjugii.* Ergo si infideли discedenti non est servanda Matrimonii fides, cō quod in Deum, Matrimoniumque peccet; & hoc sine devotione Dei sit ab illo contrahitum; poterit utique fidelis aliam ducere uxorem absque ullâ criminis notâ, dūm infidelem dimittit, vel hæc ab illo discedit. His pro negante, affirmanteque parte juxta Magistrum perpensis.

36. Si suum jam appetit sensum pro autoritatum Ambrosii concordia Magister. Si enim fidelis dimittat infidelem volentem secum cohabitare sine injuriâ Creatoris, non poterit aliam uxorem ducere, eā vivente, quanquam dimittere possit; si verò nolit cohabitare sine injuriâ Creatoris, & discedat, non tenetur sequi discedentem, sed licet ei alteram ducere.

37. Hæc hactenûs dicta sunt de iis, qui in infidelitate conjuncti sunt.

sunt. Cæterum, si uterque fuerit fidelis Matrimonio copulatus, & potesta alter eorum à fidelitate discesserit, & fidelem reliquerit, non tenetur sic dimissus discedentem infidelem sequi; tamen illâ vivente, non potest aliam ducere, quia inter eos verum ac validum Matrimonium eluxit, quod dissolvi non potest. Et hæc de secundâ distinctionis parte satis sint dicta.

38. PRO TERTIAE autem, & ultimæ distinctionis partis ostensione, hoc tertium statuitur assertum: *Inter infideles verum ac legitimum Matrimonium viget, non vero ratum.* Primam asserti partem probat primò Magister ex Apostolo 1. Corinth. cap. 7. hortante conjugem ad fidem conversum manere cum conjugé infideли volente cohabitare cum illo; sed si verum ac legitimum Matrimonium infidelis cum infideли non contraheret, ad cohabitandum cum conjugé infideли non horaretur Apostolus conjugem ad fidem conversum: igitur infidelis cum infideли verum ac legitimum cogtrahit Matrimonium.

39. Secundò probat ex Augustino lib. de fide, & operib. cap. 16. & habetur dist. 28. q. 1. præfati conjugii veritatem iis supponente verbis: *Uxor legitima societate conjuncta sine ulla culpa relinquitur, si cum viro Christiano permanere noluerit.* Sed legitima societatis conjunctio verum ac legitimum Matrimonium constituit: ergo quia inter infideles legitimum viget conjugium.

40. Tertiò ratione non ignobili suadet assumptum Magister: Illud verum ac legitimum censetur conjugium, quod à legitimis contrahitur personis; sed infideles sunt legitimæ personæ, ut possint conjugium contrahere: ergo infidelium conjugium certè legitimum arbitratur. Minorem probat: Illud dicitur legitimum Matrimonium, quod legali institutione, vel Provinciæ moribus, non contra iussionem Domini contrahitur; sed infidelium conjugium contrahitur ab ipsis juxta legalem institutionem, moresque Provinciæ, non autem contra Domini iussionem: igitur infideles legitimæ arbitrantur personæ pro conjugio contrahendo; ac proinde verum ac legitimum ab omnibus censi debet.

41. Secundam asserti partem, nempe, quod infidelium conjugium non sit ratum, etiam probat Magister in litterâ, quanquam obiter. Primum: Illud Matrimonium non dicitur ratum, quod ob fidei defectum, id est, baptismi, non est Sacramentum; sed infidelium Matrimonium ob fidei defectum, sive baptismi, non est Sacramentum, ut ex se claret: igitur infidelium Matrimonium non est ratum, quamvis verum ac legitimum sit.

42. Secundò: Ratum nequit dici conjugium, quod aliquando dif-